

Catholici Circuli apud Cornell Constitutio

Ad pacem Christi per regnum Christi provehendam

ARTICULUS PRIMUS

In primis confidente Beato et Immaculato semper Virgini Mariae, etiam atque etiam invocante caelestes patronos nostros, sanctum Pium decimum et sanctum Ludovicum Mariam de Montfort, ad Omnipotentis Dei omnium Patrisque gloriam et Eiusdem honorem Filii, atque sanctae Ecclesiae exaltationem, orando Missam et Sanctissimum Rosarium, nosmetipsos humiliter dedicamus.

ARTICULUS SECUNDUS

I. Omnes gubernandi regendique potentiae in Circuli officialibus inhaerent. Circuli officiales sex sunt: primum Praeses, deinde Promagister, tum Arcarius, tum Domini Canis, tum Legatus ad Sanctissimum Sacramentum, postremo Serviens ad Arma.

II. Sine autem Augusto Circuli volente praeside, qui omnibus sive temporibus sive locis pertinentibus ad Circulum Catholicum exercet potestatem universalem, statui aut fieri de cursu vel negotiis Circuli nequeat nihil.

ARTICULUS TERTIUS

Bonae voluntatis omnes homines tamquam amicos gratissimos licet in Circulum adscisci, quamquam cum catholica caritate in cordibus nostris speramus, sicut rerum naturalem ordinem convenit, eosdem Deum in Trinitate esse veneraturi et lubenter flexuri eorum cervices, cum omnibus creaturis, sub gloriose regnante Romae Maximo Pontifice.

ARTICULUS QUARTUS

Sententia Circuli Catholici de quapiam re cognoscatur legendo ipsos sanctos fontes ratos adprobatosque a sancta Ecclesia in quibus et Romanus Catechismus et Catechismus Catholicae Ecclesiae atque litterae encyclicae et constitutiones apostolicae Summorum Pontificum inveniuntur, et etiam constitutiones dogmaticae synodorum oecumenicorum per saeculorum decursum convocatorum a sancta Ecclesia et Romana.